



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Epistola ad Episcopos Prouinciales pro habenda synodo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

FORMVLAE VARIAE.

Ab Illustriff & Reuerendiff. D. D. Carolo S. Praxedis
Cardinali, Archiepiscopo Mediolani
confectæ.



Ac postrema Acto-
rum parte, varias
formulas, ad can-
cellariam præfer-
tim, forumque epi-
scopale pertinen-
tes cõplexi sumus.
Quæ cum omnes,
tum præcipuè facultates, pro diuersa re-
rum, ac munerum, officiorumve ratione
concedi solitæ, maximè concedunt ad
rectam ecclesiæ, officijq; episcopalis ad
ministrationem. Nemo enim est qui ne-
sciat, quanti intersit, tã quò ad spiritua-
le ecclesiæ, quàm etiã quò ad fori eccle-
siastici regimen, proprium vniciq; mi-
nistro atq; officiali munus assignare, ac
certos quosdam præfinire terminos; ne
(quod non sine maximo ecclesiæ detri-
mento euenire solet) dum vnus alterius
officium occupat, suum omnes negli-
gant. In ijs autem contendendis eum se-
cuti sumus ordinem, vt absolutis Con-
cilij prouincialis, synodiq; diocesa-
næ habendæ formulis, deinceps primo
loco varias facultates, quæ Episcopi mi-
nistris dari consueuerunt, secundo quæ
ad alios ecclesiasticos, tertio quæ ad
moniales, postremo quæ ad laicos per-
tinent, disposuerimus. Quod tamen ad
Concilij prouincialis, Synodiq; dice-
cesanæ habendæ formulas attinet, illud
scire volumus lectorem, cum nullas hu-
iusmodi nobis reliquerit Illustriff Car-
dinalis, nos, nè in re tam necessaria no-
stram desiderari diligentiam patere-
mur, earum loco acta ipsa conciliaria
descripsisse; ex quibus facillimè nullo-
que negotio eiusdem concilij synodiq;
rectè habendæ ac disponendæ ratio de-
fumentur. Duorum autem Concilij pro-
uincialis acta hoc in loco descripsimus,
vt exprimi, optima rerum in concilio
agendarum ratio, ex sexti verò Conci-

lij actis, debitæ in Concilijs habendis
cæremoniæ dignoscantur.

Acta Concilij primi Prouincialis.

Illustriff. & Reuerendiff. in Christo
pater & D. D. Carolus Borromæus
Cardin. & S. Sedis Apost. de latere lega-
tus, Archiep. Mediolani, cù a Pio III.
Pontif. veniam obtinisset ad propriam
ecclesiam veniendi, in id maximè incu-
buit, vt Conc. Trid. nuper absoluti cano-
nes & decreta omnibus innotescerent,
ac præcipuo quodam studio seruarietur.
Quod vt facillimè præstaret, Conciliũ
prouinciale cum adhuc Ramæ esset in-
dixit. Itaque ad Comprovinciales om-
nes Episcopos literas dedit, simulque
editum proposuit de synodo ad præfi-
nitam vt infra diem habenda. literas
etiam dedit ad singulas Cathedralium
ecclesiarum capitula, vt iuxta sacrorum
canonum præceptiones, certos ad Syno-
dum procuratores destinarent, qui eo-
rundem capitulorum nomine Concilio
interessent. Earum verò literarum ex-
empla, sunt quæ hoc ipso loco mox subse-
quuntur.

E P I S T O L A

Ad Episcopos Prouinciales pro haben-
da Synodo.



Carolus S. R. E. Tit. Sanctæ
Praxedis Presbyter Cardi-
nalis, ac Sancti D. N. Pa-
pæ, ac sanctæ sedis Aposto-
licæ per vniuersam Italiam de latere
Legatus, Dei, & Apostolicæ sedis gra-
tia Archiepiscopus Mediolani. Epi-
scopo N. suffraganeo nostro salutem in
Domino.

Re-

Reuerendiss. Domine! Cum pro nostri Archiepiscopalis officij manere, & antiquo, & in sacro Tridentino Concilio proximè editorum Canonum obseruatione, ad moderandos mores, corrigendos excessus, controuersias componendas, aliaque ex sacris Canonibus permessa, Prouinciale Concilium conuocare debeamus: Vt primùm necessaria sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ negotia, quibus apud Sanctissimum D. N. occupati sumus, per debitam obedientiam intermittere licuit, Prouinciæ nostræ Episcopos ad synodum euocare cõstituimus. Itaque Amplitudinem tuam Reuerendiss. pro auctoritate nostra Archiepiscopali monemus, vt omnino ad proximios Idus Octobris in Mediolanensi nostra Metropolitana Ecclesia, ad Prouincialis Concilij celebrationem intersit.

Quod si fortasse te aliqua iusta necessitas impederit, quam a te nobis significari, & iuxta Canonicas sanctiones probari oportebit; specialem Procuratorem quemadmodum debes, ad synodum mittas; alioquin moneris, te pœnas sacris Canonibus constitutas incursum. Monemus præterea Amplit. T. vt edictum, quod his literis adiunximus, in tuæ Cathedralis, & aliarum insignium tuæ Diocesis, si quæ sint, locorum Ecclesiarum valuis, vt omnibus innotescat, quamprimum affigendum & publicandũ cures; cuius promulgationis per Instrumenta publica nos facias certiores. Dat. Romæ die 25. Augusti 1565.

Subscrip. [Carolus Cardinalis Borromeus Archiepiscopus Mediolan.] & in calce, [Siluius Antonianus Secret.] In ijs Epistolis, quæ Cardinalibus Episcopis comprouincialibus directæ errant, loco illorum verborum, [Reuerendiss. Domine: Amplitudo tua Illustriss.] Edictum Generale ea de re propositum vt in actis.

Prædict. Epistolæ & edicta fuerunt transmissa ad singulos Episcopos infrascriptos per Notarium publicum, qui conficiebat instrumenta signatorum, & qui etiam deinde retulit se eas singulis Episcopis consignasse.

Nomina autem Episcoporum ad quos

Pars III.

fuerunt transmissa, sunt infra.

Fuit scriptum etiã Episcopis, vt Capitula Ecclesiarum Cathedralium inuitarent, vt ad Synodum nuncios mitterent, qui synodi tractatibus interesse possent, maximè in ijs quæ ipsa Capitula contingere dignoscuntur; simulq; vt ipsi Episcopi duos ex vniuersi Cleri corpore secum ad Synodum ducerent, qui rerum experientia & Doctrina, Synodo prodesse possent; & vt alios duos secum ducerent, spiritu feruentes, & vitæ integritate singulares, qui visitatorum, ac Synodalium testium munus si eis demã detur, rectè fideliter que adimplere possint. Quorum tenor est.

Reuerendissime Domine. Non ignorat Amplitudo V. in sacris concilijs obseruatum, quod Prouinciales Episcopi cum ad synodum a Metropolitanano vocantur, inuitati soleant secum non solum aliquot ex suæ Ecclesiæ vel Diocesis Presbyteris, verum etiam ex Capitulo suo nuncios adducere.

Cumq; sacrorum Canonũ decretis sancitum sit, vt in Prouinciali Concilio per sonæ idoneæ & honestæ p singulas Dioceses statuatur, quæ diligenter inuestigent, quæcunq; correctione & reformatione digna fuerint, deq; his in sequenti Concilio ad Metropolitanum & suffraganeos accuratè referant, vt animarum salutis consili & prouideri possit. Hæc cum ita se habeat, Idcirco pro mei muneris officio Amplitudinem V. hortari volui; primùm quidem, vt duos ex Capitulo & Doctrina & probitate præstantes, qui Synodi tractatibus interesse possint, maximè super illis quæ ipsum Capitulum contingere dignoscuntur; duos etiam ex vniuersi Cleri Corpore secum ad Synodum ducat, qui rerum experientia ac Doctrina Synodo prodesse possint.

Deinde verò vt alios duos, & eos quidè pro sua pastoralis vigilantia spiritu feruentes, Charitatis zelo inflammatos, vitæ denique integritate & innocentia singulares, ac Synodalium testium munus adimpletuos. Deum precor, vt Amplitudinem V. cumulatim suæ gratiæ muneribus prosequatur. Mediolani 2. Octobris 1565. Amplitudinis V.

H 3 Con-